

Die Urkunden Karls des Großen, 208

(C.) In nomine patris et filii et spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus [a] deo coronatus magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Langobardorum. Notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini praesentium scilicet et futurorum, qualiter nos deo favente et sanctorum principum apostolorum merita intercedente regnum Langobardorum adquesivimus et pro credentiis aliquos Langobardos foras patriam in Francia ductos habuimus, quos in postmodum ad depraecationem dilecti filii nostri Pippini gloriosi regis ad patriam remisimus et eorum legitimam hereditatem, quam habuimus in fisco revocatam, reddere aliquibus iussimus. Ex quibus unus ex illis nomine Manfredus de civitate Regia ad nostram accedens clementiam serenitati nostra petiit, ut per praeceptum auctoritatis nostrae omnes res, quascumque tunc tempore iuste et rationabiliter in hereditate legitima possidere videbatur, quando in Francia ductus est, et nos ei in postmodum reddere iussimus, denuo plenissima deliberatione cedere et confirmare deberemus. Cuius petitionem denegare noluimus, sed pro mercedis nostra augmentum et aelimosina antedicti filii nostri ita concessisse et in omnibus confirmasse cognoscite. Praecipientes ergo iubemus, quod perpetualiter circa eum manere volumus, ut, quamdiu nobis ac dilecto filio nostro fideliter deservierit, omnes res, ut diximus, proprietatis suae, undecumque tunc tempore iusto tramite vestitus fuit, quando in Francia per iussionem nostram ductus est, et nos ei in postmodum reddere iussimus, deinceps per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneat atque possedeat vel quicquid exinde facere voluerit, liberum in omnibus perfruatur arbitrium. Et ut haec praeceptio atque confirmatio nostris futurisque temporibus inviolata permaneat, manu propria subter corroborare decrevimus et de anulo nostro sigillari iussimus.

Signum (MF.) domni Karoli piissimi ac serenissimi imperatoris. (C.) Blado advicem Ercanbaldi scripsi et (SR. NT.: Blado advicem Ercanbaldi scripsi et subscrpsi). (SI. D.)

Data XVI kal. augustas anno VIII Christo propitio imperii nostri et XL, anno regni nostri in Francia atque XXXVIII in Italia, inductione prima; actum Aquisgrani palatio nostro; in dei nomine feliciter amen.